

causa ipsis major præberetur, et sensus eorum apertior ad videnda miracula redderetur, etc. » Quam solerter consulit Dominus suorum discipulorum profectui et salutem! Ut periclitantes justo bonoque timore impleat, ut ad orandum impellat, ut fide armet, somnum sibi conciliat. Hinc agnoscunt illi, se sine Christo nihil posse, nihil esse, cum Christo omnia posse, omnia esse.

Respondeo tertio, dormiisse ad instructionem nostram, quo sciremus justo nihil valde pertimescendum esse. Ut enim leo dormit quovis loco etiam aperto, nec latibula ad somnum quaerit, quia nullum hostem timet; ita Christus inter fluctus dormit, et cum eo justus quoque. Petrus inter milites vincetus altum dormit, sciens licet gladium Herodis jamjam in se exacui. Paulus in severissima tempestate, securus de salute, jussit omnes cibum sumere, dicens: *Quia nullius vestrum capillus de capite peribit*, Act. XXVII.

III. Cur reprehendit Christus discipulos, et quidem, ut videtur, iterato: ante sedatam tempestatem, ut habet Matthæus; et rursus post sedatam, ut habent Marcus et Lucas? Quis enim in tali tempestate non jure sibi timeat? Resp. merito objurgasse eos propter fidei defectum, ut qui putarent dormienti Domino non esse vires ad tollendum periculum et incolumitatem impertientiam; et inde etiam modicam gererent fiduciam erga opitulatorem Christum, cujus tamen potentiam et divinitatem jam satis comperissent. Valde Deum pungit cum ipsi diffidimus, spemque nostram ab eo avertimus et defigimus in creaturis. Hinc enim per Sophoniam, cap. III. tam graviter objurgat Jerosolymam, vel secundum Lyr. et Ariam, Christianos. *Væ provocatrix et redempta civitas, columba!* (alii vertunt *molestatrix*) *In Domino non est confisa, ad Deum suum appropinquavit.* Arguit enim talis Deum, quasi non sit omnipotens, summe providus et beneficus, ac propterea sibi et creaturis, in qua speravit, relinquatur ut ab eis deseratur, fallatur et evertatur. Id enim ei comminatur Deus, Jer. XVII. *Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem, brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erat enim quasi myrica in deserto, etc.* hoc est, contemptus, steriliis, desertus, infelix qualis est et myrica herba. E contra: *Benedictus vir, (pergit) qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas et non timebit cum venerit aestus.* Hujusmodi arbor erat S. Barbara virgo fragilis et tenera, quæ cum pectinibus ferreis horrende laceraretur a carnifice et facibus admotus ureretur, defixis in cælum oculis Christum

invocabat dicens: « O bone Jesu, tu vides secretum cordis mei, quod in te solo spem defixi, non ergo me deseras, quia sine te sum debilis et infirma: tecum autem sum fortis et robusta. »

IV. Cur per modum imperantis, et, ut Marcus ait, comminantis, et, ut Lucas, increpantis sedavit mare et ventos? Resp. primo, ut ostenderet se Dominum esse maris et terræ omniumque creaturarum, quibus pro libitu dominari quasi servis queat. Propterea etiam Apoc. X. visus est angelus (qui Christum representabat) ponere pedem unum super mare, alterum super terram, quod universo dominetur mundo. Secundo, ad instructionem nostram, ut vel a creaturis inanimatis disceremus obedire Deo, cujus illæ voci aures quodammodo præbent et obediunt ad nutum, quemadmodum et Baruch III. *Stellæ vocatæ sunt et dixerunt, adsumus*, non verbo, sed facto. Ita Jonæ, cap. II. dicitur: *Dixit Dominus pisci et evomuit Jonam in aridam.*

V. Quid significat hæc navicula? Resp. significare Ecclesiam Christi primo, quia omnia fere in se continet, quæ in navi reperiuntur. Supremus gubernator est Christus, navarchus ad clavum sedens summus pontifex, speculatores episcopi, nautæ sacerdotes, præfecti ciborum diaconi, milites concionatores, navigantes Christiani reliqui, malus crux, vela virtutes, aura navim provehens Spiritus sanctus, procellæ persecutiones, piratæ tyranni, scopuli hæreses, etc.

Secundo, sicut navis divisionem non admittit, quamvis minima sit, mox enim hauriret aquam et mergeretur; ita Ecclesia eadem fide compaginata esse debet, diversas religiones et contraria fidei dogmata minime admittit.

Tertio, quia sicut navis, ita et Ecclesia jactari quidem fluctibus persecutionem potest, non everti tamen; quia secum vehit Christum, qui mari et ventis imperare, omnesque hostium incursus debellare potest. Quare si Julius Cæsar nautæ in tempestate trepidanti dicere potuit: *Noli metuere quia Cæsarem vehis et fortunam ejus*: multo sane verius et verissime quidem dicere id nobis Christus potest: sæviant licet tyranni, sæviant undique hæretici, fluctuet navicula, nolite metuere vos, qui in Christi navi estis; Christum enim vehitis et divinitatem ejus potentiam, qua ad nihilum redigere omnes illos gigantulos potest, et magnam in Ecclesia tranquillitatem facere. De Ecclesia Christi, non de carnali Davidis regno scripsit ad litteram David, Psal. LXXXVIII. in persona Dei loquens: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar! Semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* Quis autem expugnare solem cœloque detrahere

presumet? Milites quidem Caii Cæsaris nescio quibus furiis acti jacula certatim versus solem emisserunt, sed ea in ipsorum capita relapsa ip-

sismet nocuerunt. Hoc idem contingit hæreticis Ecclesiam oppugnantibus: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUA RATIONE, ET QUANDO CHRISTUS OBDORMIAT NOBIS.

Dormit sæpe in nobis Christus. — I. Quando intepescimus in bonis operibus. — II. Quando justis in tentationibus ad tempus non ajuvantur. — III. Quando permittit frænum perversis, ut magis timeant postea puniendi. — IV. Quando obliviscimur doctrinæ Christi. — V. Quando in grave peccatum labimur.

THEMA.

Ipsæ vero dormiebat. Matth. VIII.

Antiquissimus ille et doctissimus Origenes stupet et miratur somnum Christi Domini in hoc evangelio. *O res mirabilis et stupenda*, inquit, *is qui nunquam obdormit, dormit: is qui cælum et terram gubernat, dormit: is qui nunquam dormit neque dormitat, ipse dormire dicitur!* Neque id immerito: miramur enim illa, quorum causas ignoramus; quis autem nobis exponet causam, cur qui nunquam dormit, hodie obdormiat? Ad hoc inter alios bene, meo iudicio, respondet Euthymius: « Dormiebat dispensatorie, (inquit) ut vehementer timerent apostoli. Nam si vigilasset, aut nullo modo timuissent, aut parum terri fuissent. Oportebat autem eos magnum timoris sensum concipere, ut etiam ad magnum potentia illius sensum pervenirent, et majorem de eo fidem conciperent. » Ita ille. Neque vero ut apostoli soli timerent, dormisse eum arbitror, sed ut nos quoque timeremus. Audimus enim ad Christi somnum mox coortam tempestatem, desolatos quasi discipulos in summam angustiam, ac in ipsam pene desperationem conjecisse. At nihilominus etiam nobis contingit, quando in cordibus nostris Christus obdormiscit. Equè enim jactamur, æquè periclitamur, nisi ipse surgat et imperet ventis et fluctibus, quibus obruimur. Quare ut has tempestates avertere possimus, nunc inquiremus, quando et qua ratione dormiat nobis Dominus.

I. *Dormit in nobis Dominus* (inquit in glossa in hunc textum) *id est, fides Domini, cum negligentius agimus, et ideo tempestat, si vero fides resur-*

git, imperat ventis et fluctibus. Dormit ergo in nobis Dominus, quando nos obdormiscimus, vel saltem dormitamus, intepescimus et languemus in fide, spe, charitate, oratione, aliisque piis operibus, tunc enim Deus etiam quasi dormiens, vel dormitans, languide nos protegit, adjuvat, exaudit. Scriptum enim est Ps. XXXII. *ÿ. XXII. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.* Accedit Eccles. c. II. ubi ait: *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non proteguntur a Deo.* In Græco habetur: *Væ cordi remisso.* Quando igitur in fide, spe, aliisque piis exercitiis remissi et languidi sumus, tunc obdormit nobis Deus; dum nihil aut parum valide gratiæ, nobis impertit. Sicut enim citharædus imperito saltatori, qui ad numerum saltare nescit, cantilenam accommodat; et languide saltanti languidum aliquid canit: ita etiam Deus nobis se conformat. Hac de causa Moyses in prima petra percussione non obtinuit aquam, Num. XX. quia de Dei bonitate et beneficentia erga tam ingratum populum nonnihil diffidebat: at ubi in secundo ictu fiduciam assumpsit, et spem ac fidem corroboravit, tum prosiliit aqua. Quod videtur etiam accidisse Eliseo, quando non in prima, sed in secunda percussione divisit Jordanem pallio Elia, IV. Reg. II. In primo igitur ictu dormivit illis Christus, non audiendo postulata eorum; quia etiam in ipsis dormiebat, et languebat fides ac spes. Joseph ille innocentissimus per duos integros annos post expositum pincernæ somnium in carcere detentus est. Rationem reddidit S. August. serm. LXXXII. de temp. quia nonnullam in pincerna, cui somnium explanarat, spem reposuerat: « Quia nondum scriptum erat: Bonum est sperare in Domino, quam sperare in homine: cum in omnibus Dei gratiam meruisset, surreptum est illi, ut ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tamquam diceret ei Dominus: Ego tibi ostendo, ut magis a me quam ab homine debeas auxilium postulare. » Sic ille Judas Macchabæus cum paucis militibus habuit illustres de Antiocho ejusque maximis copiis victorias, quamdiu scilicet in Deum forti-

ter speravit. At in ultimo prælio, quando videns suos dilabi, *contractus est corde, quia non habebat tempus eos congregandi, et dissolutus est, dixitque hæsitanter: Eamus contra adversarios nostros, si pugnare poterimus contra eos*: ideo tunc succubuit, atque occubuit, I. Macch. IX. 7. VIII. Denique ex evang. id ipsum manifeste colligimus. Petiit Jairus a Christo, ut in domum ejus veniret, et manum mortuæ filię imponeret, id egit Christus, et non plus, Matth. IX. Plus fidei in ipsum habuit hæmorrhœssa, quæ solo tactu fimbriæ credidit se sanandam, et hoc etiam obtinuit. Plus adhuc centurio, qui: *Tantum dic verbo, inquit, et sanabitur puer meus*, unde et verbo uno puer sanatur: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi*. Sicut credidisti, inquit, fiat; quia fides est mensura gratiarum: vigilat fides, spes, charitas, oratio: vigilabit tibi et Dominus. Dormiunt illa, dormiet et Dominus; idque indicat, cum ait in hod. evang. *Quid timidi estis modicæ fidei?* q. d. quod dormiens vos non juvem, modicæ vestræ fidei adscribite. « Mare quasi aiebat: (inquit Druthmarus in eum locum,) Ille dormit, in quo vos habetis fiduciam; non creditis, quia vigilat divinitate; propterea mittemus vos in timorem. Si sic perfecti fuissent, sicut postea fuerunt, dixissent: Non timemus, quia non audeatis mergere Dominum et creatorem vestrum. »

II. « Dormire videtur pastor (inquit Euseb. in hunc locum) quando lupi in ovem sæviunt, quando fures rapiunt, et non est, qui eripiat. Sic igitur et Jesus quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quando tyranni sæviunt, quando lupi in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, et mali vincunt. Non dormit quidem, sed prælium intuetur, et certaminis simul finem, et bellantium finem expectat. » Ita plane dormivit S. Antonio, quando eum permisit flagellari et confodi a dæmonibus, nullum ipsi auxilium porrigens, nisi finito certamine, cum is radio lucis divinitus apparente præsertim Domini sentiens dixit: « Ubi eras bone Jesu, ubi eras? Quare a principio non affuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est: Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in omni orbe nominari. His auditis exurgens in tantum roboratus oravit, ut intelligeret se plus recepisse nunc virium, quam ante perdiderat. » Ita S. Athanasius, in ejus vita, c. VIII. Dormit ergo Dominus, cum obruit tentationibus, cum anxii nobis ipsis relinquitur: evigilat vero, cum subinde nos consolatur, cum nobis succurrit. Hoc sensu dormiit

Nonnæ familiæ, cum eam anno integro inclusam in arca natæ et fluctuare permisit: evigilavit vero quando diluvio obsistens, eam e carcere illo eripuit. Idem agit cum Ecclesia, cujus typum gessit arca Noë, quemadmodum et navicula in hod. evangelio. Unde Tertullianus, l. de baptismo, c. XII. « Navicula, inquit figuram Ecclesiæ præferbat, quod in mari, id est, sæculi fluctibus, id est, persecutionibus et tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente donec orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compescat sæculum, et tranquillitatem suis reddat. » Orationes illas describit propheta, Ps. XLIII. in hunc modum: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus oves occisionis. Exsurge, quare obdormis Domine, exsurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? Oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?* Ubi S. Hieronymus: « Dixeras Domine, quod missurus nos esses tamquam oves in medio luporum. Nunc autem quia de his tentationibus elongatus es, et tamquam si in navi dormiens, non nos a tempestate defendis, excitamus te confessione supplicii deprecantes: Exsurge, etc. » Id ipsum in particulari nemo non subinde experitur, quando in tentatione deseritur desitutus omni solatio, in manibus inimicorum relinquitur, morbo diuturno vexandus permittitur, ab inopia tantum non devoratur. Quæ tunc lamenta non audiuntur? *Domine nihil ad te pertinet, quia perimus?* inquirunt cum apostolis, Marc. cap. IV. Nonne filii et servi tui sumus? Dormit eis Dominus, sed in tempore evigilabit et liberabit eos. Affligebantur Hebræi veri Dei cultores ab impiis Ægyptiis per annos fere centum, et ingemiscebant miseri sub gravissimo jugo, nec tamen videbantur a Deo exaudiri quasi is plane obdormisset profundissimo lethargo, illorumque penitus oblitus fuisset. Verum non ita erat; tandem enim *audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, Jacob, et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos*, Exodi II. Quibus verbis inculcat Moyses paternam Dei providentiam et curam de suis, quos ad tempus quidem derelinquit, et non audit, sicut pia mater non audit clamorem filii, quando is manu medici aut chirurgi ligatus scinditur et uritur valetudinis recuperandæ gratia: tandem tamen evigilat, et manum auxiliatricem adfert.

III. *Dormit, ut timoris causa ipsis* (discipulis) *major præberetur*, inquit S. Chrysostomus, homil. XXIX. Matth. existimantibus nimirum illis, quod sopitus somno periculum non videret. Permisit ergo somno suo Christus discipulos sibi ipsis et infirmitati suæ; permisit et ventis insolentiam

et sævitiam suam, suo tempore apostolos reprehensurus de modica eorum fide, et ventos increpaturus de nimia insolentia. Hunc in modum dormit Dominus malis et perversis hominibus, quando fræna laxant suæ petulantia et libidini ad peccandum; tacet enim et connivet quasi dormiret, non ut insolentia, sed ut timoris causam majorem eis præbeat, velut quid idcirco tanto tempore differat vindictam, ut abutentes sua patientia gravius puniat, juxta id apostoli ad Romanos II. *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Debet ergo somnus ille, hoc est, conniventia et longanimitas Dei perversis merito suspecta esse, velut immanius aliquando in eos sævitura, nisi se emendent. Hinc ira Dei sive ultio arcui comparatur, Psal. VII. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum.* Quia: « Sicut, inquit D. Hieronymus in illam Pauli sententiam, qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri ut fugiat, qui si fugere nolit, tanto fortius sagitta emissa configitur, quanto majori tempore arcus intentio fuit facta: sic Deus qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicii gravitate compensat. » Plutarch. etiam, ethnico homini, de sera numinis vind. Ira Dei est velut amnes, qui repente se condunt sub terram, et nihilominus eo perferuntur, quo tendunt: quod etiam Nilo contingit, qui sæpe condit se rursus erumpens; cumque longe abesse videri potest, caput exerens, terram obruit diruitque, teste Plin. l. V. c. IX. Basil. hom. III. in hexam. Ita quoque Dei iræ et animadversio in peccatores sæpe se occultat, ut videatur quasi dormire Deus: sed tandem majori impetu prorumpit et irruit in eos. Ita minatur eis Amos VIII. 7. VII. *Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum, etc. Et ascendet quasi fluvius universi, et defluet quasi rivus Ægypti, h. e. Nilus.* Simile quiddam egit aliquando Clodovæus rex Francorum, quando ex præda militari suorum militum petiit argenteum urceum, ab ecclesia S. Remigii ablatum, eidem restituit ad preces S. Remigii; quod tamen unus militum cum furore abnuens, urceum bipenni secuit. Dissimulavit enim injuriam rex, cum, anno transacto, delectum militum habiturus, vires et arma singulorum lustraret. Tum aggressus militem illum: « Quid tu, inquit, solus hic armis adeo incultis ac sordidis appares? Neque clypeus, neque lancea, neque bipennis utilis est: » simulque arreptam ejus bipennem projecit in terram quam dum ille tol-

leret, rex bipennem suam valido iotu capiti ejus infixit, addens: *Quod tu anno superire ureco fecisti, hoc et tibi jam facio*, ut est in vita S. Remigii, I. octob. Dissimulat etiam Deus per hujus vitæ cursum, insolentiam reproborum; sed ubi tempore instituerit armilustrium, in quo singulorum acta dijudicabit, ibi romphæam suam exeret in illos, juxta id Ps. LXXVII. *Excitatus est tamquam dormiens Dominus; tamquam potens crapulatus a vino: et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis: velut Noe scilicet, qui edormita crapula maledixit Cham, Gen. VII.*

IV. « Dormit in te Christus, (ait S. Augustinus, hom. in hod. evangelium, quæ est tertia in XVII. hom.) Quid est, dormit in te Christus? Oblitus es Christum. Excita ergo Christum, recordare Christum. Evigilet in te Christus. Considera illum. Quid volebas? Vindicari. Excidit tibi, quia ipse cum crucifigeretur, dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illum, recole illum. Memoria ipsius, verbum ipsius. Memoria ipsius, jussio ipsius. Et dices apud te: Qualis ego homo, qui volo vindicari? Qui sum homo, qui in hominem exero comminationes? » Sic ille. Similia habet in enarrat. in Ps. LIV. « Forte, inquit, navis tua ideo turbatur, quia ille in te dormit. Sæviebat mare, turbatur navicula, in qua discipuli navigabant, Christus autem dormiebat. Tandem aliquando visum est illis, quia inter illos dormiebat ventorum imperator et creator. Accesserunt et excitaverunt Christum, imperavit ventis, et facta est tranquillitas magna. Merito ergo turbatur cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris. Intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem quid pro te pertulerit Christus: si in mentem non venit tibi Christus, dormit. Excita Christum, recole fidem. Tunc enim in te dormit Christus, si verum illum Filium Dei abnegas esse, si oblitus fueris passionis Christi. Tum in te vigilat Christus, si memineris passionis Christi. Cum autem pleno corde intuitus fueris quid ille fuerit passus, neque æquo animo et tu tolerabis? Et fortasse gaudes, quia inventus es in aliqua similitudine passionum regis tui. Cum ergo ista cogitans consolari et gaudere cœperis, ille surrexit, ille ventis imperavit, ideo facta est tranquillitas. » Maxima est hæc hominis miseria, damnabilis culpa, et culpabile damnum, si in corde suo permittat hæc ratione Christum dormire. Quemadmodum enim ad somnum Christi mox tempestas orta est, turbatio in mari et aere, ac periculum summum in navigantibus: ita ubi oblitio Dei et beneficiorum ac mandatorum ejus

obrepit, ibi omnia turbantur et extrema metuenda sunt. Primum Adami malum (uti appellat D. Thomas, opusc. LVIII. cap. I.) fuit oblivio præcepti sibi dati; et quid inde non mali ortum? Hinc homo, *enos* Hebr. dictus, h. e. *obliviosus*; et derivatum in nos est malum illud. Petrus oblitus est verbi Domini Jesu, quod eum negaturus esset; et hinc ejus lapsus prodit. Hinc ergo Deus toties inculcat memoriam sui, præceptorum ac beneficiorum suorum, uti Deut. VIII. *Observa et cave, ne quando obliviscaris Domini tui: ne postquam comederis et satiatus fueris, etc. elevetur cor tuum, et non reminiscaris Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, etc.* Hinc tam sæpe nos flagellat, ut simus ejus memores; uti Absalon Joabum, II. Reg. XIV. « Nolebat, (inquit Oleaster, in cap. XXVI. Isaie,) loqui ad regem pro Absalon, neque pro eo preces fundere; qui servissus præcepit agrum ejus incendere, ut incendio agri commotus, pro eo apud regem intenderet. Sic Dominus sanctos suos sui immemores facit, cum corpora incendit, bona subtrahit, et mala immittit. » Ita Philisthæis et Chananæis tradidit Hebræos, quia *obliti sunt Dei sui*, Jud. III. § VII. Rursum *obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manum Sisaræ*, ait Samuel, II. Reg. XIII. Idem nos experimur hoc calamitoso tempore, quo a tot hostibus tandiu undique expetitur. Itaque stemus simul et suscitemus Christum per memoriam ipsius præceptorum et beneficiorum ejus, fietque tranquillitas.

V. *Dormiebat*, inquit Origenes, hom. VI. in diversos novi testam. ut apostolus faceret vigilare, et ne omnes nos unquam animo obdormiamus. Obdormimus autem animo quando in grave peccatum, quod absit, incidimus: et tunc obdormit in nobis Christus, sed somno lethali, deserendo nos. Metuendus est hic somnus super omnia terribilia: quæ enim tempestas, quæ perturbatio, quod periculum non oriatur ex hoc somno? Mortem Christi in cruce quæ secuta sint prodigia, quæ mundi turbatio, callemus. Nam imprimis sol retraxit radios suos, petra scissæ sunt, terra mota est, monumenta aperta sunt, velum templi scissum est. Non sunt dissimilia, quæ contingunt hominibus, in quo Christus obdormit, seu moritur in animo ejus. Christus enim lux mundi retrahit ab eo lumen gratiæ suæ, necnon intelligentiæ, ut miser nesciat ubi sit, in quam misero et periculoso statu, unde Adamum lapsum interrogavit: *Adam ubi es?* (q. d. inquit D. Gregor. III. moral. cap. IX.) « Quia te in luce qua posui, non invenio, demonstra ubi te posuisti? Unusquisque enim per peccatum projicitur, ibi occultatur, et quasi perditus, ubi sit, nescitur, quando jus-

titia lucem, in qua eum Deus possit, derelinquit. » Deinde petra, hoc est, angeli ss. in Dei gratia solidissimi et immobiles dolent et tristantur, nullius alioquin tristitiæ capaces. Ita enim Isa. XXIII. dicitur: *Angeli pacis amare stebunt*; quod de angelis cœlestibus intelligit Hieronymus, quia privabuntur maximo gaudio, cum quis labitur in peccatum; quod alias haberent, si non laberetur. Ad hæc movetur, quando ipse peccator, qui sane terra est, tremore et remorsu concutitur ob Deum offensum ejusque iram inevitabilem sibi impendentem; qualem in membris etiam, non in corde solum sensit Cain fraticida. Quid hoc tremore, quid hoc conscientia carnificis sævius? Quid intolerabilius? Mundus eis angustior est, homines ursi et leones fiunt, nox in diem vertitur, adeo nusquam se latere posse existimant. Rursum monumenta illis aperiuntur, quia infernus, quem meruere, aperit fauces suas ad deglutendum eos. Si enim peccantes angeli rudentibus inferni de cœlo detracti sunt in tartarum, quomodo illi sibi non metuent in terra, ne et ipsi detraherentur, qui similiter deliquerunt? Tanti enim ponderis est peccatum, ut nisi Dei misericordia sustentaret peccatorem, continuo in abyssum, sua mole devolveretur.

Denique in templo velum sacrum quasi scinditur, quia facta ipsi cœlestis hæreditatis promissio rescinditur, cassatur et laceratur: adeoque nomen ejus ex libro vitæ exterminatur. O tremendam mortem! O lethalem somnum! Ergo si quis forsitan causam suo peccato dedit, ut hoc pacto Christus in ipso obdormisceret, adeoque moreretur, quam primum extollat vocem, et clamet cum apostolis: *Domine, salva nos, perimus. Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, et ne repellas in finem; ut redeunte tranquillitate te laudemus et glorificemus in sæcula.*

CONCIO II.

CAUSA TEMPESTATIS, QUIA CHRISTUS MALE HABETUR A QUAM MULTIS.

I. Ab iis, qui nomen Dei et Jesu in vanum assumunt. — II. Qui verbum Dei auditum vel lectum tractant levemente. — III. Ab iis, qui nulla aut exigua reverentia sumunt eum in eucharistia. — IV. Ab iis, qui pauperes et mendicos negligunt. — V. Ab iis, qui servos indigne habent.

THEMA.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. VIII.

Varias sancti patres indagant causas motæ

tempestatis, sed qua audimus in hod. evang. sed cur ad rivulos imus, (qui quæ Matthæus præterit, adimplere solet) causam, si non principem, nonnullam tamen insinuare, quando ait, cap. IV. *Assumunt eum discipuli, ita ut erat in navi; ad transfretandum scilicet, q. d. sine cibo et comenatu, sine thoro, sine tapete, omnique ornamento, prout in navicula prius concionabatur, ita eum abducunt, velut alium quemvis remigem. At videtur hoc parum decuisse mundi creatorem, ideoque elementa, mare imprimis et venti contra hoc murmurasse, quod communis eorum Dominus non majorem respectu et honore haberetur. Quemadmodum enim Deus Ægyptios, quando filios Israel, servos ejus humaniter acceperunt, et benevole habuerunt, beneficiis cumulavit; quando vero ipsos pessime tractare et laboribus opprimere ceperunt, tum et ipse variis plagis eos flagellavit: ita etiam licebit alicui cogitare, fuisse elementa Christi discipulis, quando honore debito ipsi servierunt; nunc vero rebellasset, et tempestatem excitasse, quando ad ejus reverentiam minus attenderunt. Verum quicquid de hoc sit (quod non frustra Marcum arbitror scripsisse certe mihi persuadeo, multos exagitari variis tempestatibus, quod sine reverentia et debito honore Christum assument, accipiant et tractent. Hos igitur nunc videamus.*

I. Male et irreverenter habetur ab iis, qui assumunt nomen Dei, et præsertim nomen Jesu in vanum, et pronuntiant absque ulla reverentia. De hoc habemus secundum decalogi præceptum, Exod. XX. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Representat enim nomen Dei ipsum Deum, non secus ac imago Christi refert Christum. Unde in ss. litteris nomen sumitur pro re ipsa, et vocari est idem quod esse, ut cum dicitur Ezech. XLVIII. *Nomen civitatis, Dominus ibidem*, h. e. Dominus est ibidem: et cum Isa. IX. dicitur Christus vocandus *consiliarius, admirabilis, etc.* et Matth. I. *Emmanuel, etc.* Notum est quanto in honore esset Dei nomen tetragrammaton apud Hebræos, in tanto nimirum ut diceretur ineffabile, quod non nisi sacerdotibus sive pontificibus, cum sacrificarent et in Sancta Sanctorum introirent, proprium et essentielle: laici vero dum ab illis pronuntiaretur, prostrati in terram maxima cum reverentia audirent, ideoque quoties id nomen in Scriptura occurreret, ejus loco legerent *Adonai* vel *Elohim*, uti etiam Christus et apostoli, qui cum citant Scripturam Hebræam, in qua habetur illud nomen, pro eo substituant nomen *Dominus*. Ad hæc Judæi moderni cum jurare

coguntur per nomen Dei, non aliter jurant, quam pronuntians quatuor ejus litteras. Juro per iod, he, vau et iod. Rursum si quis in suo nomine haberet tres vel quatuor litteras ex illo Dei nomine, reverentiæ gratia non eum proprio, sed alio vocabant, ut si *Judæ* nomen haberet *leonem* vocarent, propter id Gen. XLIX. *Catulus leonis Juda*. Qua de causa Judam Thaddæum dictum volunt *Lebbæum* seu *leoninum*, a *labi*, quod est *leo*, docti aliqui. Denique id nomen tam venerabile erat Hebræis, ut summus pontifex id in fronte inscriptum aureæ laminæ gestaret, ab omnibus adorandum; quod et Alexandrum M. in Jado pontifice adorasse, cum Jerosolymam ingressus est, scribit Josephus, lib. XI. antiq. c. ult. Ex quibus omnibus discimus male agere et peccare eos, qui identidem quavis in re levicula Dei nomen effutiunt, et in testem vocant, omnia confirmando et jurando per Deum; cum vel ipse Arist. I. metaph. c. III. dicat, juramentum esse summo honore dignum, nec parva Deo injuria sit, passim et sine urgente causa ipsum vocare in testem, cum hoc princeps nullus facile toleraret. Multo vero gravior majorque irreverentia est assumere nomen Dei in testimonium rei falsæ, quod est pejerare, uti patet, id enim aliud non est, quam ipsum facere velle mendacii auctorem et protectorem, quæ tanta est Dei injuria, ut propter unius perjurium punita sit interdum tota resp. Sane ob perjurium Saulis, quo contra fidem datam a Josue, occidit Gabonitas, fame triennali afflicti sunt omnes Israelitici populus; nec cessavit calamitas, donec posterius Saulis eis traditi, ab eis crucifixi sunt, II. Reg. XXI. Ob perjurium, seu violatum juramentum, Dei nomine interposito factum, Sedeciæ regis, et ipse captus atque exoculatus, et filii coram eo occisi, et Judæa eversa, et incolæ in captivitatem ducti sunt, IV. Reg. XXIV. et XXV. et Ezech. XVII. Quanta tempestas orta est, ob unicam nominis Dei irreverentiam! Gravissima et omnium maxima divini nominis irreverentia est blasphemiam; adeo ut sacræ litteræ vel ipsum blasphemiam nomen horreant, et pro eo benedictionem reponant, cum ejus mentio fit, uti Job, c. I. § V. et XI. et III. Reg. XXI. § X. *Benedixit Deum (Naboth) et regem, et educite eum et lapidate.* In quem locum S. Ambr. I. de Naboth, c. XI. scribit: *Ne divitem maledicti nomen offendat, et sermonis ipso lædatur sono, benedictum pro maledicto vocatur.* Scimus ob blasphemiam Sennacherib regis, totum ejus exercitum fuisse una nocte ab angelo interfectum, IV. Reg. XIX. Impugit etiam in hanc Dei irreverentiam graviter juvenili temeritate Alphonsus X. Asturiæ rex et